Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summæ Card. Toleti

Minucius, Genesius

Sammieli, 1613

De baptismi Ministro c. 20.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41701

veritas, & ex conſequenti eius effectus, vt ſi quis omittat te, vel non explicet claré perſonas Trinitatis. Mutationes autem quæ in genere poſſunt in formis ſacramétorum contingere, & vitari debét, ſex ſunt his verſibus comprehéſæ.

Nil formæ demas, nil ponas, nil variabis.
Tranſmutare caue, corrumpere, verba morari.

De Baptiſmi Miniſtro. Cap. 20.

DVplex eſt Baptiſmi miniſter vnus ex officio, alter ex neceſſitate: ex officio eſt ſolus Sacerdos curatus, adeò quod extra neceſſitatem, quilibet à parocho baptizans, peccet, & ſi laicus ſit, fit irregularis ſi ſolemniter baptizet. Miniſter neceſſitatis eſt duplex. Alter ex ſpeciali Dei ordinatione, vt angelus interdum:

Alter ordinarius, vt omnis homo, cuiuſuis ſtatus, ſexus, & conditionis, rationis capax, etiam Iudæus, Paganus & Hæreticus, ſi debita intentione baptizet, nempe ex intentione faciendi quod facit Eccleſia, vel vt baptizandus petit qui tali intentione petit, debet autem qui inferior eſt ſemper cedere ſuperiori, vt fœmina viro, laicus clerico, idque per ſe loquendo.

An omnes ſint baptizandi.
Cap. 21.

A Promulgato Euangelio omnes ad Baptiſmũ ſuſcipiendum tenẽtur ſine quo nemini ſalutis aditus patere poteſt Ioh. Cap. 3. Pueri tamen infidelium non ſunt inuitis parentibus baptizandi, niſi ipſimet filii id vellent, ſi tamen baptizarentur, teneret Baptiſmus, & vtroque euẽtu eſſent ſubtrahẽdi à cura parentum. In adulto requiritur triplex diſpo